

V I R T V T E M
C H A M A E M E L I

A N T I P Y R E T I C A M

N V P E R I S A L I Q V O T E X P E R I M E N T I S

I L L V S T R A T

D O C T O R I S M E D I C I D I G N I T A T E M
L E G I T I M E C A P E S S V R V S

G E R H A R D V S G V I L I E L M V S G R O O T E

S O N N E N B V R G E N S I S,



D. XXIV. APRILIS MDCCCLXXXIII.


TRAIECTI AD VIADRVM,


E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.





PROOEMIUM.

eniamne mihi daturi sint lectores, si de antiquissimo quodam remedio antipyretico commentariolum hunc legerint, nec satis scio; nec, si sciam, in tanta Peruuiani corticis existimatione dicere ausim. Quisnam enim eorum, qui remediorum simplicium commercia faciunt, lubenter me tulerit, de medicamento quodam differentem adeo parabili et peruulgatissimo



tissimo, vt quaestui faciendo parum sit commodum. Quam belle nasum crispabunt ii, quibus summum princepsque omnium remediorum Chinchona videtur; sine quo nec viuere vellent, nec forte etiam mori. Quasi vero antiqui isti medicorum principes, quos tamen nupera ista Americae merce carere oportuit, neminem febre laborantium sanum reddidissent! Hoc ergo, quod apud hos inter praecipua antipyretica fuit praesidia, *chamaemelum*, vulgaris illa planta, sed ex tribus certe annorum millibus a medicis frequentata, erit dissertationis nostrae argumentum.



§. I.

Praemonenda botanica.

Chamaemeli, cuius in nostro apparatu medicamentario, publica imperantium auctoritate constituto, duplex proflare solet genus, *vulgare* nimirum atque *Romanum*, botanicos nunc exquirere characteres, superuacaneum profecto esset: siquidem plerique nuperi materiae, quam dicunt, medicae scriptores *a)* huius quoque rei mentionem fecerunt. Satis in praesenti sit Linnaeana utriusque annotasse nomina: vulgari *matricariae chamomillae* *b)* nomen est, *anthemidis nobilis* *c)* Romano; utrumque autem ad classem Syngenesiae, eiusque ordinem, cui Polygamiae superfluae cognomentum dedit, deprehendimus relatum. Utrumque chamaemelum apud veteres *d)*, communi velut generis nomine, *ἀνθεμῖς* videtur appellatum: singulatim autem istud, quod nunc vulgare vocamus, est leucanthemum *DIOSCORIDIS*, *PLINII*, aliorumque veterum. Plura,

A 3

ex

a) Verbi causa citabimus ipsius *CAROLI LINNAEI Mater med.* sub Classe Syngenes. *RVD. AVGVSTIN. VOGEL Histor. Mater. med.* pag. 148 seq. et alios.

b) Cf. *CAROLI LINNAEI Spec. plantar.* edit. secund. pag. 1256.

c) *Ibidem* pag. 1260.

d) Conferatur verbi causa, *DIOSCORIDES* in *medicinal. mater.* Libr. III. Cap. CLIV. et *PLINIUS* in *histor. natural.* Libr. XXII. Cap. XX.



ex omni antiquitate repetita, hac super re desiderantem remittimus ad virum sui temporis celeberrimum, IOANNEM HENRICVM SCHVLZIVM: qui singulari dissertatione e) idem hoc argumentum subtilissime, vt solebat, est persecutus.

§. II.

Antiqui vsus testimonia.

Antea vero, quam progrediamur, videtur instituto nostro consentaneum, fidem nostris facere dictis, quibus, iam apud antiquissimos medicos solemnem chamaemeli ad superandas febres fuisse vsum, paullo ante adseruimus. Prima huius aduersus febres praesidii vestigia apud veteres Aegyptios iam honorifice nominatus SCHVLZIVS deprehendit et peculiari commentariolo accurate exposuit f). Ab his ad antiquos istos Graecos medicos, ipsum forte HIPPOCRATEM eiusque adseclas, huius remedii notitia atque existimatio transiisse videtur. Posteris temporibus pristinam hanc chamaemeli commendationem repetiit PEDANIVS DIOSCORIDES, *Anazarbeus* g), et, qui eundem fere exscripsisse videtur, C. PLINIVS SECVNDVS h). Sed ante omnes

e) *De Chamaemelo*; Halae, anno MDCCCXXXIX. edita.

f) In *Dissert. de febr. intermitt. curat. antiqua*; quae Halae prodit anno MDCCCXXXVIII.

g) *Loc. citat.*



omnes longe luculentius eximiam nostrae plantae contra febres intermittentes efficacitatem confirmavit CLAVDIVS GALENV*s* *i*), vir tantae, ut omnes norunt, auctoritatis, quanta vix post quatuordecim seculorum decursum potuit labefactari. Inde etiam accidit, ut posteriorum annorum medici Graeci, Arabes, et vulgo sic nominati Latino-barbari chamaemelum inter antipyretica medicamenta primo loco haberent. Tametsi vero expulsa dein litterarum barbarie similia quoque alienae auctoritatis praedicia deponerentur: non imminuta tamen est huius remedii apud plures magni nominis medicos, usque ad ipsam nostram aetatem, dignitas atque aestimatio. In cuius rei fidem DIEMERBROECKIVM, MORTONVM, PITCARNIVM, BAGLIVIVM, BOERHAAVIVM, HOFFMANNVM, WERLHOFFIVM, atque SCHVLZIVM, solummodo nominasse sufficiat: quorum tamen potiores in laudando quoque et frequentiori vsui commendando cortice Peruviano haud inànem posuisse operam, quotusquisque est, qui ignoret?

§. III.

Partes chamaemeli actuosae.

Verum enim vero non est, cur adhibendi chamaemeli poeniteat medicos: cum vtrumque, siue

Roma-

i) De simplic. medicamentor. facultat. Libr. III. Cap. X.



Romanum selegeris, siue vulgare, actuosis efficacibusque particulis neuiquam destituatur. In utroque dictarum harum particularum praesentiam abunde satis testatur cum odor penetrans plane singularis et nonnihil aromaticus, tum sapor amarus, itidem prorsus sui generis, et cum leni quadam acrimonia aut potius falsedine coniunctus. Interim pro natalis foli diuersitate mox intensior, mox debilior deprehenditur hic sapor odorque: in primis, si macra et arenosa, sed ad haec culta, fuerit terra, in qua sua sponte crescit chamaemelum, excellentior esse solet eiusdem odor, ad cydonei mali odorem accedens; a quo etiam, teste DIOSCORIDE *k*), nomen contraxit. Idem quoque valet de ficciori aestatis tempestate: sub humido enim coelo plurimum chamaemeli fragrantia decrescit. Tam odoris, quam saporis excellentia Romanum vulgari antecellere existimatur; vnde et prius istud odoratissimum recens dixit IOANNES BAVHINVS. Id, quod ego facile concesserim, si de sponte crescente et simplici anthemide nobili sit sermo: fatiuae vero nostrae, quae in pingui hortorum solo luxuriat, et pleno flore exsurgit, saepe numero minus inest paullo ante memoratae praestantiae, ac vulgari et spontaneo nostro chamaemelo. Atque haec omnia chemico ex examine accuratius poterunt declarari.

§. IV.

k) *Loc. citat.*



§. IV.

Examen chemicum.

Ego vero non is sum, qui, solius examinis chemici ope plantarum vires absolute definiri posse, acriter contendam. Istud autem quam maxime adfirmo, si quae forte insint vegetabilibus particulae teneriores, ad ignem fugaces, aqua aut aliis menstruis, ut chemici loquuntur, solubiles, ceteroquin vero innatae et praesentes, has omnes chemici solertia et arte educi, seiungi, seorsim colligi, et ad ponderis mensuraeque rationes reduci posse. Quae praeter haec, ad vires spectantia, exinde colliguntur, sunt merae coniecturae, nisi experientiae accedat confirmatio. Ad solam ergo hanc legem intellecta volo, quae nunc proponam, tentamina chemica, partim mea, partim aliena et ab aliis instituta. Ex his omnibus inter se collatis apparet, ex utroque chamaemelo per ea experimenta, quae misturam harum plantarum tantummodo dissoluunt, non vero penitus destruunt, impetrari aquam admodum fragrantem atque efficacem, eoque elemento subtiliori, quod spiritum rectorem appellavit BOERHAAVIUS, foetam; tum oleum quoddam aethereum; porro extractum gummosum et refinofum; remanente denique terra vegetabili inerte. Diuersarum autem harum partium proportio apud scriptores chemicos



deprehenditur admodum diuerfa. Celeberrimus NEVMANNVS ex *vulgaris* chamaemeli libra obtinuit olei aetherei, eleganter coeruleo calore praediti, scrupulum vnum, alii drachmam, clariffimus LEWIS denique tres drachmas. Ex eodem chamaemelo extracti aquosi dimidiam partem NEVMANNVS et CARTHEVSERVS, spirituosi autem prior tres octauas partes, posterior vnā tertiam impertravit. *Romani* chamaemeli paullo alia fuit ratio. Hoc enim ex vnica libra, teste LEWIS, quinque olei flauescens dedit drachmas; extracti vero vtriusque proportio, per experimenta *Neumanniana* et *Cartheuseriana*, prorsus cum *vulgaris* chamaemeli extractis conuenit.

§. V.

Nostrorum tentaminum recensio.

Haud obscure praeuidebam, tanti discriminis, quod inter elementorum, ex quibus chamaemela constant, proportionem intercedit, causas soli differentiae natalis terrae, tempestatis, congrui ad collectionem temporis, aliarumque rerum circumstantium deberi. Haec ergo intuens ipse legi, in eunte aestate, tempestate satis vda ficcaque chamaemelum *vulgare*, partim inter segetes in solo macilento, partim in fimetis, singulos tamen fasciculos seorsim.



seorsim. Decerptos porro flores partim recentes, partim antea leniter in vmbra ficcatos examini chemico subiēci. Tandem etiam magna cum accurate solos flosculos disci, quos flauedinem chamaemeli vulgo vocant, a semiflosculis albis radii et calice separavi, recentesque adhuc seorsim examinaui. Singulorum horum florum libram sub examen reuocaui, et quidem hac lege, vt primo octo libras aquae communis cuilibet portioni infunderem, et excurbita alembicoque vitreo, moderati ignis ope, aquam oleumque aethereum abstraherem, donec nihil amplius olei cum aqua prodibat; residuam in cucurbita massam per linteum traieci et expressi, expressumque liquorem, post nocturnam in frigido loco quietem, denuo colauī, et lento igne in vapores egi, impetrato adeo extracto aquoso; massae denique, cum ab expressione, tum a colatione superstiti, adfudi spiritus vini, quem vocant, libram, dierumque aliquot spatio, chemicorum more, moderatum ad ignem digessi, abstractoque dein, quem antea colaueram, spiritu refinofum paravi extractum. Ex his omnibus tentaminibus chemicis sequentes proportionis, ad quam ante memoratae chamaemeli vulgaris partes mistae erant, deprehendi rationes. Stillatitia aqua omnium erat odorata et fragrans; fragrantissima tamen ea, quae ex recentibus flauis istis stillauerat flosculis. Aethereum singulorum



oleum erat sapphirini coloris; ex primo fasciculo, qui in macro natus erat solo, simulque recenti, duorum scrupulorum et quinque granorum; ex eodem ficco, vnius scrupuli et sedecim granorum; ex fasciculo recenti, quem in fimetis legeram, vnius scrupuli et sex granorum; ex ficco vix vnius scrupuli: ex flauis denique et recentibus disci flosculis quatuor scrupulorum et octo granorum. Extractorum rationes parum inter se differebant: ex recentibus enim aquosi fere sex vncias, spirituosi autem nondum quatuor obtinui; ex ficcis vero septem prioris, et quinque posterioris vnciae sunt collectae. Pauciora cum *Romano* institui tentamina. Cum enim illud ex solis tabernis pharmaceuticis repeterem, et ficcum fuit, et flore, vt solet, pleno. Huius libra, priori methodo tractata, dedit olei aetherei flauescens drachmam, quatuor tantummodo granis deficientibus. Extractorum proportio cum ea, quam de ficco vulgari chamaemelo definiuimus, conueniebat. Stillatitiae aquae grata fragrantia eam tamen non superauit, quam abstracta ex vulgaris chamomillae flosculis flauis aqua spirabat.

§. VI.

Chamaemelorum vsus.

Quod si nunc ante memoratarum partium vires consideramus, facile ex odore atque sapore colligi potest,




potest, principes atque actuosas particulas potissimum oleo aethereo aquaeque stillatitiae inhaerere, inertiores atque inefficaciores extractis. Exinde quoque luculenter sequitur, vt ea intus adhibendi chamaemeli ratio optima sit, qua oleosae et spirituosae propriae particulae integrae conseruantur. Quamuis igitur solum purumque oleum eiusdem aethereum ex nimia efficacitate internos ad vsus, nisi refracta sit dosis, minus sit accommodatum: eae tamen medicamentorum exinde conficiendorum formulae, quae interno destinantur vsui, reliquis erunt praestantiores, si oleosae has atque spirituosas proprias particulas in se comprehendant inuolutas. Hoc ergo nomine praesertim commendabiles erunt aqua chamaemillae aquosa et vinosa, aqua millefolii, vt vocatur, composita *l*), cereuisia chamaemelina inter Saxones haud infrequens, vinum chamaemelinum *m*), et infusum eiusdem theeforme. Reliqua enim, quae passim in pharmacopoliis prostant, chamaemelina, quod partim nimio praeparationis calore, partim ex additamentorum indole, ante dictas actuosas partes amittunt, aut immutant et infringunt, nostro instituto minus conuenire videntur: ad quorum proinde classem extracta chamaemelina, aquas carminatiuas

B 3

DORN-

l) Confer. SCHVLZII *praelection. in Dispensat. Brandenburg.* sub hoc titulo, in edit. alter. Noriberg. cl^o1700. edit.

m) Videtis SIMON PAVLI in *quadripartit. botanic.* pag. 282.



DORNCREILII, SCHROEDERI, et *Württembergi-*
cas, itemque tincturam *Parisiensium* spirituofam re-
 ferimus. Verum enim vero dum inter chemica ten-
 tamina animaduertebamus, recentes flauos chamae-
 meli vulgaris flosculos et aquae suae stillatitiae excel-
 lentia, et olei aetherei copia, omnibus reliquis
 praeualere, id egimus, vt hos ipsos flores in tan-
 tum, in quantum fieri poffet, velut integros atque
 recentes conseruaremus. Huic scopo conserua
 omnium maxime accommodata est visa: quam fe-
 quentem in modum confecimus. Ante dictorum
 nimirum flosculorum recentium libram in mortario
 lapideo, pistilli lignei ope, et adspersa subinde aqua
 destillata chamaemelina, curata tritura in pultem re-
 degimus, huicque tandem aequale pondus sacchari
 albi in puluerem redacti admiscuimus, donec euade-
 ret conseruae massa. Huic in fictile vasculum coa-
 ctæ, superfudimus sacchari, ad tabulandi consisten-
 tiam, vt barbarè vocant, cocti nonnihil: vt exinde
 tegetetur superficies, aërisque ingressus, fermenta-
 tionem facile excitaturus, coërceretur. Atque hoc
 modo conserua, frigido loco reposita, supra anni
 spatium integra mansit atque incorrupta. *Externis*
vsibus destinari solent flores leniter ficcati, et oleum
 vnguinosum, ex iisdem per infusionem paratum.



§. VII.

Chamaemeli vires generatim.

Cum iam ante nos alii virium medicarum, quae chamaemelis, experientiae testimoniis, inesse deprehenduntur, syllogem peculiaribus, quae supra laudauimus, commentariis exposuerunt: omnium harum laudum summam maximi viri, HERMANNI BOERHAAVII, verbis breuiter concinneque exprimere placet. Hic enim: *Chamaemela officinalia*, inquit n), *vim habent aromaticam, oleo penetrante, sed leni nec multum adhaerente non inflammate. Sapor est amarus, aperientissimus, oleosissimus et carminatiuus. Summopere aperit, emollit, calefacit, diuresin mouet, laxat, discutit. Herba externe applicata emollit et maturat locum inflammatum. In omni morbo, a pituita crassa orto, optime conducit. Ingreditur cataplasmata, balnea vaporis, infessus, fomenta, clysmata. Est praeterea planta antipyretica. Verum nescio, quare multi medici hanc plantam inter antiphlogisticas recenseant, et ordinario cum sambuco vna praescribant: quum in sambuco sit gratissima vis refrigerans et nitrosa virtus. Conuenit tantum haec planta, vbi lentor et viscositas frigida adest. Haec ille. Quibus omnibus virtutem addimus antisepticam, nuperis celeberrimi PRINGLE o) experimentis*

n) In *hisor. plantar.* pag. 163.

o) In *philosoph. Transact.* num. 495. 496.



mentis comprobata: qui chamaemelum in hoc remedium genere supremum fere occupare locum contendit.

§. VIII.

Virtus eiusdem antipyretica speciatim.

Atque ex his generatim consideratis virtutibus haud difficulter quoque intelligi potest, quomodo fiat, ut chamaemelum in febribus quoque, praesertim intermittentibus, eximiam possideat efficacitatem. Quoniam enim obturata quaelibet vascula aperit et recludit, excretionum singularum negotia mouet incitatque, neruis amicis spasmos sopit, lentos humores particulis amaris, subsalsis, et aromaticis imbuit, et antiseptin exercet: quotusquisque non videt, quantum praesidii ab eiusmodi medicamento in febrium, ex lentore inprimis humorum oriundarum, curationibus medicos expectare oporteat. Proinde etiam iam apud antiquissimos populos ipsius usus in depellenda febre ista rebellis, quae *quartanae* nomen a periodo accepit, haud poenitendum operae fecit pretium; tum et porro in reliquis, ad *intermittentium* classem referendis. Neque vero interdicendi sunt interno chamaemelorum usu ii, qui ex *catarrhali* febre decumbunt. Quod ad reliqua febrium genera attinet, experientiae fide

et



et testimonio destitutus, nihil adserere aut definire ausim: licet, si antisepticam chamaemelorum vim spectem, mihi veri simillimum videatur, fore, ut in *putridis* quoque febribus ipsius efficacia haud sit infructuosa. His nunc omnibus expositis atque praemissis, quae egomet super antipyretica chamaemeli virtute per experimenta didici, ingenue et sincera fide recensebo.

§. IX.


Antequam vero hanc ingredior enarrationem, moneri se sinant lectores, supra descriptam conseruam chamaemelinam potissimum a me aegrotis esse exhibitam, eo plerumque in singulas doses pondere, quod drachmam aequat. Adsumendi huius remedii vehiculum plerumque constituit aqua chamaemelina destillata aut interdum, sed longe rarius, infusum eiusdem theeforme. Rarioris exempli et tum fere vnice, si spasmi dorsales aut cardialgici aegrum vehementer vrgerent, externus fuit olei vnguinosi chamaemelini, quod coctum pharmacopoei dicunt, vsus. A ceteris omnibus medicamentis chamaemelinis, quae ad haec in tabernis medicamentariis prostant, abstinere fatius duxi. Primum aegrotantis exemplum, quod me inprimis ad explorandos chamaemeli vires antipyreticas quasi compulit, fuit se-



quens. Puella, duodeuiginti annos nata, temperamenti potissimum cholericum, habitusque corporis mediocris, mature, decimum quartum quippe aetatis annum vix egressa, catameniorum profluuium sensit, et ex eo tempore optime valuit. Sed media hyeme, nondum completis sedecim aetatis annis, in quartanam incidit febrem, diuturno frigore diuturniorique aestu vires aegrotae vehementer exhaurientem. Solliciti parentes, ut fieri solet, variis remediis domesticis primo febrem sunt aggressi. Dein varii variis temporibus in consilium vocati sunt medici. Tunc cortex Peruvianus, diuersis sub formis, mox larga, mox refracta dosi, diu, sed irritum euentum, est datus. Quassiae quoque lignum, nuper tantummodo eo tempore commendari coeptum, feбри est oppositum: sed hoc quoque spem delusit. Nec arcana quoque remedia, verbi causa, *pulueres Duclosianus, Glockengiesserianus*, et quae non? sunt praetermissa. Inter haec quoque menstrua purgamenta desierunt. Sensim cachecticus faciei accessit color, frequens cardialgicus colicusque dolor, et inconstans atque inaequale alui officium. Lotii indoles aquosa, cruda, et veluti iumentaria. Ad extremum, postquam febris haec rebellis iam in decimum septimum mensem durauerat, pedum quoque oedemata superuenerunt. Exeunte demum Iulio mense aegrotantis cura mihi est commissa. Adfui aegrotae lecto, dum febrile incipie-




incipiebat, hora post meridiem altera. Frigus erat satis intensum, arteriarum pulsus contractus et durus, ceteroqui febrilis; quarta circiter hora insignis nausea cum grauissima praecordiorum anxietate. Versus quintam horam remittebat nonnihil angor, arteriae mollius et elatius micare incipiebant, calorque nunc febrilis succedebat, sed ficcus, eneruans, pertinax, vixque hora vndecima nocturna in madorem desinens. Urina sub paroxysmo emissa pallidissima et pellucida, limpidissimae aquae instar. Primo apyrexiae die vires fere penitus fractae, altero paullo firmiores. Tot iam consiliis elusis, tot iam antipyreticis vel optimae notae remediis in cassum datis, statui, quod turbatum putarem omnium viscerum abdominalium negotium, non alia offerre medicamenta, quam quae simul dictarum partium actiones firmarent, humorum lentorem resoluerent, lenirentque spasmos. Ne quid tamen saburrae, primis in viis collectae, officeret medicamentorum dandorum efficacitati, altero post paroxysmum die exhibui notissimam illam potiunculam laxantem Vindebonensem. Subsecuto vero paroxysmi die, singulis ternis ante accessionem horis, deglutiendam curavi conseruae chamaemelinae drachmam, superbibitis aliquot aquae chamaemelinae vnciis. Frigoris febrilis tempore potauit aegrota infusum chamaemeli theeforme: sub aestu aquam puram, interposito inter-



dum dicti infusi theeformis haustu. Imminente quoque paroxysmo regio tam spinalis, quam epigastrica, oleo chamaemeli cocto et leniter tepefacto est inuncta. Reliquis intermediis diebus ter tantummodo per diem sumta est dictae conferuae dosis. Quatuor ante paroxysmum horis, nec ferius, tenuioris cuiusdem iusculi concedebatur vsus: parcus quoque et moderatus eupeptorum et oligochylorum ciborum sub apyrexia; sub qua etiam in aquae potu, sibi iam familiari, perrexit aegrotata. Simplici hac medendi methodo vsus sum per octo hebdomades, sequenti cum euentu. Prioris binis hebdomadibus nullam sensi febris mutationem aut symptomatum diuersitatem: tertia nauseae et praecordiorum langores decrescebant, neque, vt ante, sub aestu aspera cutis siccitas deprehendebatur. Superato quartae hebdomadis decursu tota paroxysmi periodus breuior euadebat, post duas hebdomades vix sesquihoram comprehendens. Inter hoc tempus vix speranti reparata sunt catamenia, oedemata conciderunt, cachecticus faciei euauit color, vrina cocta rubicundi sedimenti, velut lateritii, plurimum deposuit, et his modis quoque iam ineunte Octobri mense adeo imminuta est febris, vt post decem hebdomades, quo tempore iterum accesserunt menses, vix lassitudinis vestigium superesset. Tertius nunc praeteriit annus, ex quo hanc aegrotam, sine intentato recurso, sanam

nam



nam vegetamque reliquit febris. Hoc exemplo excitatus dein praedictam medendi methodum in aliis repetiit aegrotantibus, qui aut ipsi a corticis Peruuiani vsu abhorrebant, aut quos nec idem cortex, nec quassia alleuabat. Ad quae etiam notari, fas est, a conferuae chamaemelinae vsu me nunquam oedematum animaduertisse accessiones, chinchonae, et interdum quoque quassiae, vsui superuenientes. Quos ergo memoratae conferuae ope ex quartana febre in sanitatem vindicauimus, fuerunt, praeter dictam puellam, sex aegrotantes, quatuor autem ex tertiana: quorum singulorum historias referre, cum plurimum inter se conueniant, nunc superuacaneum existimamus.

§. X.

Peroratio.

Nostrae autem est fidei, non dissimulare, in tribus aegrotantibus chamaemelum quoque nostrum non satisfecisse expectationi. Ex his senem septuagenarium, auctumnali febre quartana correptum, postquam diu chinchonae infuso meraco, ex alio medici consilio, frustra vsus erat, deinceps per quinque hebdomades chamaemelinam quoque conferuam acceperat, tandem ad finem vergente Februario mense oppressit marasmus. Alter puer sexennis,



itidem per duo menses quartana febre laborans, sed ad haec scirrhis parotidum nonnullarumque colli glandularum tumoribus adfectus, et a priori medico propinatis mercurialibus tractatus, nec a chamaemelinae conseruae vsu aliquid sensit alleuamenti, sed paullo post, iterum alius medici curae commissus, ex lenta decessit febre. Tertius denique, vir quadraginta circiter annorum, in tertianam incidit vernalem; quae etiam ex chamaemelinorum remedium vsu remittere est visa, cum subito et ex improviso per enormem haemoptoen aeger animam efflaret. Quidnam chamaemelum in *catarrhalibus* febribus efficere posset, vnico tantum exemplo didici, lectorum pace breuiter recensebo. Femina, nondum triginta annos supergressa, in grauem incidit catarrhalem febrem, cum acri siccaque tussi coniunctam. Ego, vt opem ferrem, mox aduocatus praescripsi cum sub paroxysmo infusum chamaemeli theeforme, tum remissionis tempore singulis binis horis conseruae chamaemelinae semidrachmam. Hoc sub vsu et mox remissior facta est febris, et faciliori tussiendi conatu insignis bronchialis mucii reiecta est copia, febre ipsa tandem quatuordecim dierum interuallo prorsus euanescente. Tacebo nunc, quod adeo exacte instituti nostri non interest, de olei chamaemelorum destillati, in elaeosaccharum facile redigendi, praestantissima



tissima virtute anticardialgica et anticolica, praesertim si horum dolorum origines ex flatuum retentione descenderent: quod plurium exemplorum confirmatione nobis constitit. Atque haec sunt, quae ad commendandum frequentiore internum chamaemeli usum differere voluimus. Haec enim ple-
rorumque medicamentorum esse solet fors, ut, quod de vocabulis, de ipsis quoque opportune dici possit:

*Multa reuascentur, quae nunc cecidere; cadentque,
Quae nunc sunt in honore, — — si volet usus.*

HORATIVS.



